

te miserans; obsecro te, ut eandem caritatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui **N.**, et libera eum ab omnibus passionibus et pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hac hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, et fac eum gaudere cum Sanctis tuis in glória æterna. Et tu, piissime Dómine Jesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui, ut eam introducere digneris ad semper viréntia et amœna loca paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui a te, et ab electis tuis numquam separari potest. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

CAPUT 8.

IN EXPIRATIONE.

Qum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat; vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: **JESU, JESU, JESU.** Quod et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat.

In manus tuas, Dómine, commendo spiritum meum. Dómine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta María, ora pro me. María mater grátia, mater misericórdia, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

2. Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem exspirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint.

3. Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc:

R. Subvenite Sancti Dei, occurrere Angeli Dómini, * Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Réquiem æternam dona ei, Dómine, et lux perpétua luceat ei. * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Réquiem æternam dona ei, Dómine.

R. Et lux perpétua luceat ei.

V. A porta inferi.

R. Erue, Dómine, animam ejus.

V. Requiéscat in pace. **R.** Amen.

V. Dómine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendamus animam famuli tui **N.**, ut defunctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu vénia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

4. Interim detur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste compositum, loco decenti cum lumine collocetur: ac parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur, aut ubi crux desit, manus in modum crucis componantur, interdumque adspargatur aqua benedicta, et interim, donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.